



## II. Abtheilung: Mittheilungen.

### Dom Jean Mabillons Briefe an Cardinal Leander Colloredo.

Mitgetheilt von Dr. A. Goldmann.

(Schluss aus Jahrgang X. Heft II. S. 248—254.)

18.

Paris. 1697. 7. XII.

Non consuetudini communi sed syncerae meae in Eminentiam Tuam propensioni ac venerationi obsequor, dum fausta Tibi natalia fortunatumque novum annum animitus apprecor. Vota haec non unius diei, non unius horae, non unius epistolae sunt, sed singulorum dierum, ne dicam singularum fere horarum, quibus Te et de Te cogito, resque tuas Deo commendo. Utinam dignus apud eum orator quamquam non est mortale quod Tibi opto, certe nec mihi. Quid enim mortalia omnia, opes, honores, dignitates nisi conferant ad Dei gloriam, ad Ecclesiae bonum denique ad beatam immortalitatem? Sed quo progredior, quasi immemor Eminentissimi viri, ad quem scribere non sine pudore ac reverentia debeo. At nescio quo pacto eximia benignitas et humanitas in me audaculum me fecit, alias timidum, nec multum audacem. Verum scio omnia in bonam partem sumes a tuo Mabillonio, quo nemo amplius Te colit ac veneratur. Secundum me vult esse noster Theodoricus Ruinartus, qui totus est tuus uti et ego. Eximia prodit epistola pastoralis illustrissimi archiepiscopi Parisiensis<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Ueber diesen am 27. October 1697 erlassenen Hirtenbrief des Cardinal de Noailles vgl. Valery III, 19.

contra quietismum digna certe, quae a Te legatur. Brevi proditurus est Athanasius tribus voluminibus.<sup>1)</sup> Gregorii Turonensis editio iam ad mediam partem processit. Annales mei annum 866 iam attingere. Saeculum nonum fere unum volumen conficiet. Vale.

19.

Paris. 1698. 8. VII. <sup>2)</sup>

Revixit spiritus meus acceptis Eminentiae Tuae litteris, quas illustrissimus Tuus ex fratre nepos <sup>3)</sup> mihi abste reddidit. Verebar sane ne ex animo Tuo penitus excidissem ob inofficiosam, ut quibusdam videtur, hanc epistolam, quam scripsi de cultu sanctorum ignotorum; <sup>4)</sup> at lectis istis litteris intellexi, me non omnino expunctum esse ex memoria, immo nec ex benevolentia optimi patroni mei; quippe qui charissimum suum nepotem mihi commendare non est dedignatus. Amplexus sum ex animo hanc occasionem mihi datam redeundi in gratiam tuam, amplexus sum, inquam, ambabus ulnis illustrissimum et maxime ingenuum adolescentem, quem innatus animi candor, incorrupti mores, praeclara educatio, ipsa etiam corporis forma mihi charissimum fecissent, etiamsi Tuus non fuisset. Doleo quod nondum faciem Tuam viderit, certus Tibi ex eius conspectu non mediocris solatii ac gaudii materiam fore, quod talem nepotem habeas. Optarem, ut diutius in his partibus remoraretur, ut eius colloquio et adpectu frui diutius mihi liceret. At brevi hinc discessurus est in Belgium ut ex ipso rescivi. <sup>5)</sup>

Exspectatur in dies non sine aliqua impatientia Sedis Apostolicae iudicium de libro illustrissimi archiepiscopi Cameracensis, <sup>6)</sup> cuius vicem maxime doleo, quod vir tantus in illas se angustias

<sup>1)</sup> Siehe die Note zum folgenden Schreiben.

<sup>2)</sup> Dieses Schreiben wurde durch Dom Estiennot an den Adressaten befördert, vgl. Valery III, 21.

<sup>3)</sup> Dieser Neffe Colloredo's hiess Fabius, vgl. die 6. genealogische Tafel bei Crollanza l. c.: Fabio III, Cavaliere di S. Stefano e Priore della Lunigiana, Prete della Congregazione dell' Oratorio, poi arcivescovo di Lucca e Penitenziere Apostolico nat. 1672, † 1742; er war also bei seiner Anwesenheit in Paris 26 Jahre alt.

<sup>4)</sup> Anfang 1698 erschien diese Abhandlung Mabillons unter dem Titel: Eusebii Romani ad Theophilum Gallum epistola de cultu sanctorum ignotorum (Paris 1698. 4<sup>o</sup>) und erregte allenthalben das grösste Aufsehen.

<sup>5)</sup> Auch in einem gleichzeitigen (verlorenen?) Schreiben an Estiennot äusserte sich Mabillon in derselben Weise über den jungen Colloredo; vgl. Estiennot an Mabillon 1698, 29. Juli (Valery 3, 21): J'ai lu à son Em. Colloredo et à son secrétaire l'article de votre lettre qui regarde M. son neveu; son secrétaire qui a toute sa confiance le connaît, et m'a dit que votre jugement est fort juste.

<sup>6)</sup> Fénelon; es handelt sich bekanntlich um seine quietistische Schrift: L'explication des Maximes des Saints sur la vie intérieure, Paris 1697; das Verbot erfolgte erst durch ein Breve vom 12. März 1699; vgl. Reusch, Index II, 628 ff.

coniecerit ob unum libellum, ex quo tantae in ecclesia Gallicana turbae et animorum partes excitatae sunt. At fortasse id ecclesiae universae necessarium, ut spirituales ac mystici auctores de rebus internis cautius et religiosius scribere ac sapere discant. Malo certe sobriam illam beatissimi Apostoli sapientiam quam hyperbolicos illos excessus, quos Paulus ipse ignoravit, quando eius causae examen stat apud Apostolicam Sedem, cuius absoluta sententia multorum animos componet ac serenabit. Brevi Romam accessuri sunt duo e nostris.<sup>1)</sup> quorum unus Athanasii novae editioni ac versioni praefuit. Hos Eminentiae Tuae commendatos velim, Romam ad id unum profecturos, ut Graecos vestrates codices revolutare ad novam Chrysostomi aliorumque Graecorum Patrum editionem procurandam. Gregorium Turonensem edere pergit noster Th. Ruinartus, qui Eminentiae Tuae obsequia sua per me significare cupit. Felicem me reputavero, si in numero Tuorum me habere pergas. Vale.

20.

Paris. 1698. 9. XII.

Non tam obsequor consuetudini receptae quam observantiae internae, cum fausta Christi natalia et novi anni prospera initia Eminentiae Tuae ex animo apprecor. Hoc votum est meum, non annum modo sed quotidianum; siquidem nulla effluit dies, qua Tui memoriam in qualibuscumque precibus meis faciam. Utinam melior apud Deum orator. Non dubito quin modo reversurus sit domum illustrissimus nepos<sup>2)</sup> Tuus, qui ex his partibus discedens incredibilem ubique sui opinionem et amorem apud omnes, qui eum noverunt, reliquit. Commendaveram illum quibusdam e nostris apud Compendium, ubi tempore postremae huius solemnitatis moratus est. Mirum est quantas gratias mihi retulerint amici mei, quod tam honesti et ingenui viri videndi et agnoscendi occasionem [eis] praebuerim. Faxit Deus, ut istos incorruptos mores ad finem servet. Doleo quod Tuam Eminentiam aspectu suo nondum recreaverit. De studiis pauca haec addam. Brevi proditurus est Hieronymi tomus alter<sup>3)</sup> nec non Gregorii Turonensis. Sub prelo est index

<sup>1)</sup> Dom Bernard Montfaucon und Dom Paul Brioy. Die neue Ausgabe des hl. Athanasius (Athanasii archiep. Alexandrini opera omnia gr. et lat. opera et studio monachorum congregationis S. Mauri, Paris 1698, 3 voll. Fol.) hatte Montfaucon gemeinsam mit Dom Jacques Lopin, der jedoch schon am 29. December 1693 starb, unternommen. Gleich nach Beendigung der Athanasiusedition eilte Montfaucon in Begleitung des D. Brioy nach Italien, um den kritischen Apparat für seine Chrysostomusausgabe zu sammeln. Er arbeitete in Mailand, Modena und Florenz und kam erst Mitte September 1698 nach Rom, wo er die freundlichste Aufnahme fand; vgl. seine Briefe an Magliabechi und Bacchini bei Valery III, 23, 30, 34 und den Bericht D. Estiennot's an Mabillon, das. III, 41.

<sup>2)</sup> Vgl. die Anmerkung zum vorhergehenden Schreiben.

<sup>3)</sup> Der zweite Band der von Dom Martianay besorgten Hieronymus-Ausgabe ist im Jahre 1699 erschienen. (Der 3. Band 1704, und die beiden letzten 1706.)

generalis operum S. Augustini, cui vita proluxa ex eius scriptis cum praefatione generali praemittitur. <sup>1)</sup> Ego vero Annales prosequor, quoad sinit haec aetas et multiplex distractio. Obsequia sua noster Ruinartus offert mecum Eminentiae Tuae et sua vota.

21.

Paris. 1699. 13. VII.

Exprimere non possum quantum moeroris conceperim ex obitu procuratoris <sup>2)</sup> nostri generalis, qui mihi intima necessitudine ab annis amplius trigina coniunctissimus erat et cuius opera studiis nostris semper obvia et opportuna fuerat. Tali amico destitutus temperare non possum, quin lachrymas meas deponam in sinu amantissimi patris, fas mihi sit ita loqui, idest Eminentiae Tuae, Tuo inquam, quem iamdudum loco parentis optimi nedum protectoris studiosissimi habui et in posterum, uti spero, habiturus sum. Hac spe ac fiducia fretus humilissime rogo Eminentiam Tuam, ut fratres nostros, qui nunc in Urbe remorantur benevolentia Tua foveat et praesidio tueatur, ut studiorum nostrorum cursum in posterum inoffenso pede persequi valeamus. Vides Eminentissime Domine. me de solita benignitate Tua nimis forte audacem plus debite forte praesumere: at non supra innatem bonitatem tuam, quam nobis semper favorabilem fore speramus, uti demissis animis petimus et obsecramus. Sane Te semper eundem erga me esse intelligo saepius ex litteris, quas scribis illustrissimo D. Nuntio <sup>3)</sup> in hac Urbe, qui Te ut patronum suum optimum ac studiosissimum suspicit ac veneratur. Quin etiam ad Eminentiam Tuam voluit a me significari, quasi non sufficeret ipsius hac de re apud Te testimonium eique aliquid auctoritatis addere valeret huius homuncionis confirmatio. Utut sit, id asserere possum esse neminem, qui Te amplius colat et diligat. Ad me quod attinet, sat diu iam sum Tuus, immo non sat diu, sed in aeternum idem erga Eminentiam Tuam perseverabo utinam non otiosus cultor, et praedicator meritorum tuorum. Idem studium

<sup>1)</sup> Der elfte (letzte) Band der Werke des hl. Augustinus (Biographie des hl. Aug. und Indices) ist erst im Jahre 1700 erschienen.

<sup>2)</sup> Dom Claude Estiennot, seit 1684 Generalprocurator der Maurinercongregation in Rom, starb daselbst am 20. Juni 1699; vgl. über ihn Le Cerf, Bibliothèque historique p. 98—103; Tassin, Histoire littéraire p. 177; Valery I, pag. XXXV und III, 352. Nach Le Cerf wurde Estiennot in der Kirche della Trinita de' Monti bestattet, allein es ist mir nicht gelungen das Grabmal dort aufzufinden. Auch die eifrigen Nachforschungen meines Freundes Prof. Camillo Antona-Traversi blieben bisher erfolglos. — Estiennot gehörte unzweifelhaft zu den begabtesten Mitgliedern der Congregation; seine Briefe an Mabillon bei Valery und Broglie II, 181, 213, 223 bieten eine Fülle von überaus interessanten Nachrichten. Sein Nachfolger in der römischen Generalprocuratur war Montfaucon (1699—1701).

<sup>3)</sup> Delfini.

aemulatur noster Th. Ruinartus, ex quo brevi Gregorium Turo-nensem<sup>1)</sup> accepturus es. Deus optimus maximus Te incolumen servet.

22.

Rhemis. 1699. 18. IX.

Mihi opportune succurrit humanissima epistola<sup>2)</sup> Eminentiae Tuae ad leniendum dolorem, quem ex obitu Eminentissimi Domini Cardinalis de Aguirre<sup>3)</sup> non potui non concipere. Nam praeterquam quod ordini nostro magno ornamento simul et patrocinio erat, sane Congregationem nostram, ausim etiam dicere, me ipsum sincere amabat iam a multis annis, antequam purpura Cardinalitia esset ornatus. Sic amittimus veteres amicos in dies, sed, quod quidem indubitanter spero, praemittimus in coelum, ubi eorum charitas, quanto perfectior et purior, tanto nobis opportunior et potentior futura est. Id sane de Eminentia piae memoriae Cardinalis d'Aguirre sperare nos facit luculentissima ista epistola, in qua eius elogium tanta cum gravitate et auctoritate contexuisti, ut quaedam sanctitatis eius informatio censi possit, eo fide dignior, quo gravius est testimonium viri omni exceptione maioris, qui instar multorum testium esse possit testis ipse oculatus. Atque utinam Annales nostros producere mihi liceret ad hoc tempus, quo tanti Cardinalis mentionem possém facere.<sup>4)</sup> Sed quo minus id operem vetat pro-jecta haec aetas ipsiusque prolixitas operis, quod idem ob varias quae intercurrunt distractiones interrumpere cogor. Id generis est ea causa, quae me cum nostro Ruinarto adduxit ad Rhemorum civitatem, ubi a quindecim diebus ambo versamur<sup>5)</sup> incerti adhuc quo tempore ad pristina studia nostra nobis reverti licebit: Quamquam in hoc secessu penitus a studiis non vacamus, sed

1) S. Gregorii Turonensis opera omnia necnon Fredegarii epitome et chronicon cum suis continuatoribus etc. ed. Th. Ruinart, Par. 1699 fol.

2) Das Schreiben Colloredo's vom 25. August 1699 ist gedruckt bei Martène, de antiquis Ecclesiae ritibus, Tom. I (Rotomagi 1700) Bl. a\* verso.

3) Jean Saenz d'Aguirre, spanischer Benedictiner, Cardinal seit 1686 (zugleich mit Colloredo ernannt), starb am 19. August 1699. Colloredo urtheilt über ihn: Deferere compellimur Josephum tit. S. Mariae super Minervam presbyterum Cardinalem de Aguirre, qui e Benedictino ordine assumptus ad purpuram, maius illi contulit quam acceperit splendoris ornamentum, sive eximius morum ipsius candor spectetur, sive doctrina eius et singularis eruditio proponatur. (Elogium in Martène, de ritib. eccl. I.) Aus seiner Correspondenz mit Mabillon hat Herr von Broglie I, 180, 181 zwei Excerpte nach den Originalen im Cod. 27678, Fonds français der Bibl. Nat. mitgetheilt. Die Briefe Mabillons an Aguirre sind bei Valery abgedruckt. Vgl. über ihn Kirchenlex. I<sup>2</sup>, 366.

4) Colloredo sprach nemlich in seinem Schreiben l. c. den Wunsch aus: „Utinam M(abillonio) meo tamdiu produceretur vita, quo ad haec usque perveniens tempora, novum hoc Benedictinae familiae sidus suis possit Annalibus inserere.“ Mabillon selbst hat wohl nicht daran gedacht, sein Werk bis auf die neueste Zeit fortzuführen.

5) Ueber diese Reise vgl. Broglie II, 321.

interim iis intenti, quae parum Annalibus nostris promovendis conferunt. Ubi Parisios reversi fuerimus, quod fiet intra sequentem mensem, nostris nos studiis reddemus, Ruinartus quidem edendis actis Sanctorum saeculi nostri sexti Benedictini, <sup>1)</sup> ego vero prosequendis Annalibus, quos ad annum dumtaxat 983! perduxi. Utinam eos saltem ad annum 1200 producere mihi liceat. At prosequi eos poterit Ruinartus quocumque demum tempore filum vitae meae divina Providentia abrumpet. Ubi ad annum 1100 pervenero, priores tomos, si Deus siverit, typis mandare incipiam. <sup>2)</sup> Sed de his satis. Interim S. Augustini nova editio novis in dies libellis impetitur, non tam seriis quam ludicris, qui declamatorem magis theatricum quam theologum decent. Optandum esset, ut S. Officii tribunal quamprimum de illis aliquid pronuntiaret, ne, si libellos scribere pergant adversarii, sopitae dudum in his partibus de Gratia concertationes recrudescant. Id optimo patrono, idest Tibi, Eminentissime Domine, indicasse et insinuasse sufficiat. In mentem mihi antehac venerat hac de re scribere ad sanctissimum Dominum nostrum: sed quis et qualis sum ego, ut tantae maiestati scribam? Hanc itaque cogitationem abieci contentus amicos eos compellere, qui studia nostra haud improbant eosque rogare, ne ea intermori sinant, si quid compendii ecclesiae offerri a nobis posse existiment. Id iudicio Tuo permissum volumus. Interim Deum optimum maximum precari non desino, ut Te diu incolumem servet. Idem optat Ruinartus noster, qui sua Eminentiae Tuae obsequia mecum demisso offert animo. Vale.

23.

Paris. 1699. 30. XI.

Non una sed plures causae ad Tibi scribendum me hodie impulere. Una est, ut Eminentiae Tuae mea nostrique Ruinarti devotissima obsequia renovem et asserem his et proximis Domini natalitiis, quae Tibi cum novo anno recurrente pluribusque aliis subsequentibus fausta et prospera ex animo ambo apprecamur. Altera est, ut Eminentiae Tuae quantas possum gratias agam, quod suam nobis operam polliceri dignetur vindicandae novae S. Augustini operum editioni resecaudisque Apostolica falce spinosis et aculeosis illis libellis, qui in eam nuper conscripti sunt. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Das Saeculum VI. ist im achten und neunten Band der Acta Sanctorum O. S. B. enthalten; dieselben sind im J. 1701 und 1702 erschienen.

<sup>2)</sup> Siehe die Einleitung.

<sup>3)</sup> Ueber die Controverse, die sich an die Mauriner-Ausgabe des heiligen Augustinus knüpfte vgl. Dom Tassin, Histoire littéraire de la Congreg. de S. Maur. p. 301: Précis de contestations au sujet de la nouvelle édition de S. Augustin, und neuestens F. H. Reusch, der Index der verbot. Bücher II (Bonn 1885) S. 685 f. Unter den seditiosi libelli, von denen Mabillon hier spricht, sind die Schriften des Jesuiten Langlois zu verstehen.

Iam quidem utrique parti silentium indixit Rex Christianissimus: at optandum esset, ut Apostolica Sedes seditiosos eiusmodi libellos censura notaret, ut aggressores deinceps a talibus ausis absisterent. Tertia causa est, ut rescias, quantum se Tibi obligatum esse sentiat illustrissimus dominus Nuntius in hac urbe Apostolicus,<sup>1)</sup> qui omnibus praedicat, Tibi ab ipso deberi non modo episcopatum Brixiensem sed etiam pileum Cardinalitium, quo recens a Sanctissimo D. nostro insignitus est. Iamdudum me adstrinxerat, ut Eminentiae Tuae, apud quam me gratiam tametsi longe immeritam invenisse credebat, significarem, quantum Tibi ob bona, quae in dies ipsi praestabas officia obligatus esset; nunc vero certus sum, me rem gratissimam eidem facturum, si Tibi modo suam fortunam acceptam ab eo referri significarem. Quarta demum causa est, ut excusatum me habeas, quod praeclaram istam epistolam, quam de obitu bonae memoriae Eminentissimi Domini Cardinalis Daguirrii ad me scribere dignatus es, loco elogii curaverim apponi epistolae nuncupatoriae duorum priorum voluminum de ritibus ecclesiasticis, quae a nostro Edmundo Martene eidem piissimo Cardinali dicata sunt.<sup>2)</sup> Volebat ille mutare dedicationem et alicui viventi amico libros suos nuncupare; sed satius mihi visum est nihil mutare et mortuo deferre, quod viventi oblatum fuerat. Rogaveram unum e nostris, qui Romae versantur, ut facti veniam abs Te impetraret. Si quid hac in re peccatum est, ignosces velim pro Tua humanitate. Brevi hos libros habebis. Vale.

24.

Paris. 1700. 1. II.

Discedente ex hac urbe Eminentissimo Domino Cardinale Nuntio<sup>3)</sup> et ad Romanam Curiam iter instituyente non potui absque litteris meis dimittere optimum Petrum Silium eius familiarem atque itineris comitem, amicum certe nostrum, virum doctrina et probis moribus praeditum, qui haud dubie iam notissimus est Eminentiae Tuae nec commendatione apud Te mea indiget. Noluit tamen hinc discedere absque litteris meis, quibus accessum ad Te faciliorem, ut est modestissimus, se habiturum sperat. Ego vero hoc quaecumque officium ipsi denegare non potui nec volui, certus eum venerationis in Te meae futurum istic interpretem. Ceterum si quid commendatio mea viro amicissimo apud Te conferre potest, contestari debeo, eum Tua benevolentia dignissimum esse, quod facile experientia intelliges. Plurimam Eminentiae Tuae salutem

<sup>1)</sup> Delfini.

<sup>2)</sup> Dieser Brief „ad unum e nostris scripta“ ist gleich hinter der Widmung des ersten Bandes von D. Martène's de antiquis Ecclesiae ritibus, Rotomagi 1700, 4<sup>o</sup> abgedruckt. Vgl. die Note zum vorhergehenden Schreiben.

<sup>3)</sup> Delfini.

et debita obsequia mecum offert noster Ruinartus, qui modo edendis sexti saeculi nostri actis<sup>1)</sup> sedulam operam impendit. Vale.

25.

Paris. 1700. 4. VII.

Iam annus mihi videtur esse, ex quo Eminentiae Tuae non scripsi: tandem mihi non una scribendi ratio occurrit. Incipio a gratiarum actionibus, quas plurimas Tibi debeo, tum ob superiora beneficia in me meosque, tum ob recentem commendationem, qua illustrissimum Nuntium apud Christianissimum Regem nostrum a Sua Sanctitate designatum<sup>2)</sup> nobis favorabilem reddere in antecessum dignatus es. Id enim rescivi ab uno e nostris, Priore S. Andreae Avenionensis, qui cum obsequiorum causa illustrissimum tunc ablegatum convenisset, cum multa benevolentia et humanitate exceptus ab eo est iussusque mihi scribere, ipsi quam maxime commendatum fuisse ab Eminentia Tua nostram Congregationem, quam ille Tui causa, peculiaris quippe amici et patroni sui, singulari studio se prosecuturum esse spondit. Hoc sane argumentum propensae in nos benevolentiae tuae, quippe qui non rogatus hunc insignem fautorem nobis ultro contulisti. Nec dubitem quin plurimum etiam Eminentiae Tuae debeamus, quod damnantur libelli editi contra novam S. Augustini operum editionem: quod decretum opportune quidem nobis succurrit, cum summa manus ultimo tomo S. Augustini praefationem generalem et indices universales omnium eius operum continenti imponeretur.<sup>3)</sup> Rependat Deus hanc gratiam Eminentissimis Patribus et amicis nostris, qui istius decreti auctores fuerunt. Sed de his hactenus. Accepi<sup>4)</sup> nuper ex Urbe exemplar libri, quem Alexander Plouvierius edidit adversus epistolam Eusebii de cultu sanctorum ignotorum.<sup>5)</sup> Hoc unum queror in illo libro, quod fidem meam et venerationem erga Sanctissimam Sedem Apostolicam reddere suspectam conari videatur. Hortantur me qui Romae versantur Patres nostri ad refellendam<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Vgl. die Note zu Nr. 22.

<sup>2)</sup> Der neue Nuntius (von 1700—1706) war Cardinal Filippo Antonio Gualterio. Vgl. über ihn Biographie Générale XXII, 309 und seine Schriften im Catalogue of additions to the mss. of the British Museum (1854—1875) Nr. 20241 bis 20686. Saint-Simon, mémoires vol. II, 368.

<sup>3)</sup> Das Verbot der obenerwähnten Schriften des Jesuiten Langlois erfolgte am 2. Juni 1700 cf. Tassin, Hist. litt. pag. 306. — Mabillons Praefatio generalis zur Augustinus-Ausgabe steht im 11. Bande derselben (Paris 1700).

<sup>4)</sup> Von Accepi bis zum Schluss ed. bei Thuillier I, 335.

<sup>5)</sup> Der Titel dieser Gegenschrift lautet: In Epistolam Eusebii Romani ad Theophilum Gallum de cultu sanctorum ignotorum apocrisis, in qua contra Eusebium defenduntur reliquiae e catacumbis Romanis erutae autore Alexandro Ploverio Tornacensi Presbytero et s. Theol. Doctore. Romae 1700; vgl. Montfaucon an Mabillon, Schreiben vom 25. Mai 1700 bei Jadart, Dom Ruinart, p. 144—145.

<sup>6)</sup> repellendam Thuill.

iniuriam. Sed, ut verum fatear, tanti mihi non videtur liber iste, ut responsionem mereatur. Sed quia incertus sum, qualis sit Romae de isto libello opinio, obnixè rogo Eminentiam Tuam, ut mihi amice suggerere dignetur, quid facto opus sit et an respondere sit operae pretium. Hanc gratiam spero ab Eminentia Tua, cuius consilium, si ita ipsi e re sua videatur, revelabo.

Ad studia nostra quod attinet, iam fere absoluta est editio tomi primi actorum Sanctorum nostrorum saeculi sexti, quem priorem tomum posterior brevi subsequetur.<sup>1)</sup> His actis digerendis operam impendit noster Theod. Ruinartus Tui veneratione plenus, dum ego prosequor Annales nostros, quos ad annum 1009 perduxi variis occupationibus idemtidem distractus. Cum ad duodecimum saeculum pervenero, si Deus siverit, tunc priora saecula typis mandare incipiemus. Hoc opus Eminentiae Tuae precibus sacris auctoremque commendare a me velim patiaris. Deus optimus maximus Te incolumem diu servet. Vale.

26.

Paris. 1700. 6. XII.

Expectabam dum egressus esses a Sacri Conclavis angustiis, ut Eminentiae Tuae de novo creato Pontifice gratularer et fausta Christi Domini natalitia nec non brevi reversuri anni prospera initia felicemque decursum apprecarer. Accepimus ante quatuor dies, sacrum collegium tandem conspirasse ad exaltandum Eminentissimum Cardinalem Albanum<sup>2)</sup> ad summum pontificatum: quae res maximo gaudio affectit bonos omnes, quibus eximiae eius dotes ac virtutes perspectae sunt. Est quippe, ut asserunt, vegetae aetatis, multae eruditionis ac doctrinae, immensi laboris, in rebus publicis exercitatissimus, talis denique, qualem nostrorum temporum ratio postulabat. Faxit Deus, ut diuturnum pontificatum fortunent dignae tanto pontifice occasiones, in quibus de republica Christiana optime mereri possit et nomen eius gloriosum transmittere ad aeternam memoriam et gloriam. Non desunt in praesens tales occasiones, ut scis, Eminentissime Domine, nempe conciliandae pacis et concordiae inter catholicos in sese exasperatos, sanciendae et propugnandae sanctioris doctrinae et puritatis Evangelicae aliaeque similes, quas meum non est oculatissimis viris ingerere. Unum tamen, si dicere ausim, magnopere optarim, nempe ut reformetur breviarium Romanum<sup>3)</sup> eo modo, ut ab omnibus adoptari

<sup>1)</sup> Siehe die Anmerkung zu Nr. 22.

<sup>2)</sup> Papst Clemens XI. erwählt am 24. November 1699.

<sup>3)</sup> Schon im Jahre 1695 erhielt Mabillon von Estiennot die vertrauliche Mittheilung, dass Cardinal Fabroni eine Reform des Breviariums im Sinne habe, cf. Corr. inéd. II, 373.

possit. Sane haec res non adeo operosa fuerit post tot reformata his in partibus breviaria, ex quibus unum absolutissimum facile confici possit a Romanis viris, qui exquisitissimum gustum et genium in omnibus habent. Id certe non parum conduceret ad illustrandum Sanctissimi domini nostri Clementis XI. pontificatum, quem diuturnum fore ex eius aetate auguramur et ex animo optamus. Parcat Eminentia Vestra, si tam libere et ingenue loquar, dicerem inepte, nisi scirem cui loquar. Brevi, ut spero, perveniet ad manus tuas postremus tomus S. Augustini, vitam S. Doctoris et indices generales complectens, quem Eminentiae Vestrae offeret noster procurator in Urbe generalis.<sup>1)</sup> Ego vero Annales nostros prosequor reversus ante unum mensem ex Normannia<sup>2)</sup> cum nostro Theoderico Ruinarto, qui alterum volumen saeculi nostri sexti prosequitur. Hic Eminentiae Vestrae humillima mecum offert sua obsequia plurimamque salutem optat. Vale.

27.

Paris. 1701. 15. III.

Non est mihi dubitandi ratio, Eminentiae Tuae redditam haud fuisse postremam epistolam meam, quam Tibi scripsi sub finem anni praecedentis, qua Eminentiae Tuae gratulabar de fausta electione Sanctissimi Domini nostri Clementis XI., Tibique fausta pro more meo natalia Christi Domini et novi anni novique saeculi initia ex animo apprecabar. Etsi enim non is sim, qui ab Eminentissimo Domino meo ullum responsum merear, ea tamen est, ut mihi satis superque compertum est, humanitas et benignitas in me tua, ut vix existimem epistolam hanc meam, si in tuas manus pervenisset, absque ullo foenore apud Te futuram: quamquam sat magnum mihi praemium fuerit, si mea apud Te obsequia locum habuerint. Neque vero crediderim, Eminentissime Domine, Tibi displicuisse ea, quae pro mea erga Te confidentia proponebam suggerenda, si Eminentiae Tuae ita videbatur, beatissimo Domino nostro, sed quae [repetere] hic non est necesse. Non dubito, quin Tibi brevi reddendum sit a procuratore nostro generali exemplar unum librorum Sancti Bernardi de Consideratione, quos Sanctitati Suae nuperrime obtulimus.<sup>3)</sup> De eius exaltatione gaudent summopere boni omnes multaque praeclara et eximia a tanto pontifice sperant. Interim suspensi haerent omnes religionis et ecclesiae

<sup>1)</sup> Montfaucon.

<sup>2)</sup> Ueber Mabillons Aufenthalt in Caen und Fontenay vgl. Broglie II. 322.

<sup>3)</sup> S. Bernardi de Consideratione libri V. ad Eugenium III. P. iussu Clementis XI. Pontif. Max. Paris 1701, 8<sup>o</sup>; vgl. das Anerkennungsschreiben Clemens XI. an Dom Claude Boitard vom 8. März 1701 bei Ruinart p. 127.

sincere cultores in exspectatione iudicii Sinensis, <sup>1)</sup> ex quo magnum sument praeiudicium eorum, quae ab isto Pontificatu speranda sunt. Iam praeludia spei nostrae favent: faxit Deus, quod praeclaris istis initiis successus respondeat. O quanta materia rerum agendarum in tanto loco! Urgent quidem alia intempestiva rerum temporalium ac civilium negotia: sed magis attendet, ut quidem spero, Sanctissimus Dominus noster ad spirituales et ecclesiasticas necessitates, exemplo Gregorii Magni, qui commentarios in Ezechielem in profectum Ecclesiae edebat, dum Italia et Roma ipsa a barbaris ad extremas angustias redacta erat. Nunc debellanda veniunt portentosarum opinionum monstra, quae fere ubique impune nascuntur in dies, probabilitatis et philosophici peccati detestandus partus: <sup>2)</sup> adstruenda amicis Dei est convictionis necessitas. Ad haec arma posuit Deus in manu fortissimi Josue nostri; quibus si sic utatur, adversarii omnes cito eius virtute conterentur. Hic me reprimo: iam longius progressus sum quam ut homuncionem deceret. Sed scio ad quem loquor et cui animi mei intima sensa ingenue aperio. Ad studia nostra quod attinet, nunc sub prelo est alter tomus actorum nostrorum saeculi sexti, quibus edendis incumbit noster Theodericus Ruinartus: ego vero Annales nostros pro modulo prosequor iamque eos produxi ad annum 1040. Interim recudi necesse est opus nostrum de re diplomatica, cuius exemplaria deficiunt, ut occurratur editioni bibliopolae Hollandi, qui illud suis impensis vult recudere. Is est Hamos idem, ni fallor, qui nuperime novam editionem Augustini ex nostra suis sumptibus confecit, sed de his hactenus. Deum optimum maximum ut Te incolumen servet obnixè precamur ego et noster Theodericus Ruinartus, qui sua Eminentiae Tuae obsequia accepta esse rogat. Vale.

28.

Paris. 1701. 3. IX.

Iampridem sperabamus nobis aliquam adesse occasionem, qua grati animi in Te nostri affectum publice testificari nobis liceret. At in praesens nulla nobis opportunior occurrit, quam editio duorum voluminum nostri Edmundi Martene de divinis officiis, quae consecraria sunt duorum priorum voluminum de sacramentis, quae ille piae memoriae Cardinali Aguirio nuncupavit. Hic vero, ut posteriora haec duo volumina <sup>3)</sup> sub nominis Tui felicibus

<sup>1)</sup> Ueber die chinesischen Angelegenheiten unter Clemens XI. vgl. Valery 3, 107.

<sup>2)</sup> Ueber das Peccatum philosophicum vgl. Mabillon an Sergardi bei Valery II, 219, 223, 230, 237, 250, 260, 264, 269, 281, 301.

<sup>3)</sup> D. Martène de antiquis Eccl. ritibus (Rotom. 1702) vol. III. dem Cardinal Colloredo gewidmet. Vgl. das Schreiben Mabillons an Card. d'Aguirre bei Valery 3, 46.

auspiciis in lucem emittere sibi liceat etiam atque etiam rogat: rogo quoque ipse obnixè, ut ei benigne, ut soles, assentiaris. Cum autem prope confecta sit haec editio, Eminentiae Tuae hac de re responsum expectare non poterit; quod aequi bonique consules velim, daturus operam, ne quid in epistola nuncupatoria modestiam tuam offendant.

Ad me quod attinet, lente procedunt Annales nostri tum ob deficientem aetatem tum ob innumeras leves quidem, sed molestas distractiones. Annum attingi 1053. Si per valetudinem liceat, primum tomum anno proximo, Deo dante, edere incipiam, opus de re diplomatica a me recognitum denuo inpressurus. Saeculum sextum Actorum nostrorum duobus tomis quam primum e prelo prodibit, cura in primis et labore nostri Theoderici Ruinarti, qui senectam meam relevare pro virili studet. De cetero vix ac ne vix quidem exprimere possum quantum debeamus illustrissimo Domino Nuntio Apostolico in hac urbe, qui nos Eminentiae Tuae gratia singulari benevolentia complectit. Cum referendae gratiae impares simus, quaeso, ut de tuo inopiam nostram supplere ne graveris. Audio Sinense negotium prope confectum esse pro voto bonorum omnium. Haud scio an quidquam aliud pontificatum Sanctissimi Domini nostri amplius honorare possit. Deus illum ad multos annos incolumem servet. Obsequia sua Eminentiae Tuae renovat noster Th. Ruinartus et fausta omnia ex animo apprecatur. Vale.

29.

Paris. 1701. 20. XII.

Quod sub finem huius anni praeter morem meum Eminentiae Tuae scribam, in causa fuit morbus ex febre bis tertiana contractus, qui me e monasteriis Floriacensi et Clarevallensi cum nostro Theoderico reversum sub finem mensis Octobris corripuit, ex quo necdum omnino convalui, languescentibus viribus, tum ob provectam aetatem, tum ob temporis hiemalis incommodum. Ubi me aegrotare intellexit illustrissimus Dominus Nuntius,<sup>1)</sup> me invisere dignatus est Tui causa, qua de re gratias ago Eminentiae Tuae, quae me tanto viro commendare dignata est. Antequam in morbum inciderem, iam perfecta erant duo volumina sexti saeculi nostri Benedictini,<sup>2)</sup> cui elaborando praecipuam operam contulit noster Theodericus Ruinartus, cuius nomine atque meo unum utriusque voluminis exemplar Eminentiae Tuae oblaturus est noster in Urbe procurator generalis.

Quod attinet ad tertium et quartum tomum Rituum Ecclesiarum, quos noster Edmundus Martene Eminentiae Tuae nuncupare statuit, miror necdum absolutum esse saltem tertium,

<sup>1)</sup> Gualterio.

<sup>2)</sup> Acta SS. O. S. B. vol. VIII. IX. (vgl. oben).

qui cum quarto, absente auctore, Rothomagi excuditur. Quam primum prodierint, eos Romam mitti curabo Tibi offerendos in observantiae in Te nostrae, id est totius Congregationis nostrae monumentum. Interim faustissima Domini natalia cum prospero novi anni initio et decursu ego nosterque Th. Ruinartus ex animo apprecamur. Vale.

30.

Paris. 1703. 16. VII.

Non me poenitet editi libelli de morte christiana,<sup>1)</sup> quando non displicuit Eminentiae Tuae mihiq̄ue litterarum abste munus, quod quovis auro mihi praetiosius est, promeruit. Jam dudum cunctabar Tibi gratias agere ob patrocinium abste mihi non semel impensum in sacra Indicis Congregatione, in qua mihi haec tenus parsum tuo quidem potissimum favore audio; qua de re Tibi me obstrictum magis magisque profiteor. Brevi spero, si per portitores licebit, recipiet Eminentia Tua primum volumen nostrorum Annalium, quod nunc primum e prelo prodit.<sup>2)</sup> Mox subsequenter alia volumina, saltem tria, quae typis fere parata habeo. Si me vita ante finem operis, ut quidem sentio, deficiet, illud forte socii mei prosequenter. Utcumque res ferat, totum illud meque ipsum, ut par est, Divinae Providentiae committo tuisque sanctis precibus commendo.

Vidi theses istas, quae apud Patres Minimos Romae propugnatae sunt, de quibus nihil est quod dicam; siquidem sacrae Inquisitionis decreto confixae sunt. Nescio quid actura sit circa perniciosissimum libellum gallice recens in hac urbe vulgatum sub titulo *La Veritable Tradition de la Predestination et de la Grace*;<sup>3)</sup> in quo S. Augustini sententia, quam pro sacra habuit ab annis mille ducentis Apostolica Sedes, erroris et tantum non haereseos postulatur. Vereor ne ea quae apud nos his de rebus fiunt, eo tandem deveniant, ut Sancti Doctoris sententiam Ecclesiae auctoritate consecratam nemo in

<sup>1)</sup> La Mort chrétienne sur le modèle de celle de Notre-Seigneur J.-C. et de plusieurs Saints et grands personnages de l'antiquité, le tout extrait des originaux par un R. P. de la Congrégation de S. Maur. Paris 1702. Diese kleine Schrift scheint schon im Februar oder März d. J. erschienen zu sein, da Mabillon ein Exemplar derselben bereits am 10. April an den Grossherzog von Toscana sandte; vgl. Valery 3, 128.

<sup>2)</sup> Der erste Annalenband (a. 480—701) ist im Jahre 1703 erschienen (nach dem 14. Mai, vgl. Valery 3, 156). Recension desselben im Journal des Savans 1703, 3. Sept. p. 545.

<sup>3)</sup> Launoy, la véritable tradition de l'église sur la prédestination et la grâce, Liège 1703 12<sup>o</sup>. vgl. Reusch a. O. II, 688. Der Verfasser dieser Schrift soll Louis de Marais, ein Schüler Launoy's gewesen sein; bezüglich des Druckortes weiss ich nicht, ob auch in Paris eine Auflage veranstaltet wurde, wie man aus Mabillons Worten schliessen möchte, oder ob Lüttich nur als fingierter Druckort zu betrachten ist. Die Verurtheilung erfolgte am 28. Januar 1704.

posterum asserere ausit, quod avertat Deus. Plura de his dicenda occurrunt, quae utinam auribus tuis suggerere possem.

Humillima Eminentiae Tuae obsequia sua offert noster Theodericus Ruinartus, qui acta Urbani II. id est vitae eius synopsis, bullas et epistolas decretales edere parat.<sup>1)</sup> Si qua haberet Eminentia Tua de eo seposita, optaret ille, ut saltem catalogum et prima verba cuiusque bullae etc. transmittere ne graveris. Futo Eminentiae Tuae redditam fuisse apologiam S. Mauri, quam idem noster Theodericus Tibi destinavit.<sup>2)</sup> Deus optimus maximus Te incolumen servet. Vale.

31.

Rhemis. 1703. 27. IX.<sup>3)</sup>

Postremas litteras Eminentiae Tuae 27. Augusti scriptas accepi Rhemis, quo per hasce ferias autumnales relaxandi tantisper animi causa ego sociusque meus D. Theodericus Ruinartus divertimus. Hic a duobus mensibus versamur retinente nos illustrissimo huius civitatis archiepiscopo usque ad proximum festum S. Remigii,<sup>4)</sup> quo finito statim Parisios revertemur editionem secundi voluminis Annalium nostrorum inchoaturi. Optarem, ut quantocius primum volumen ad manus Tuas perveniret, ut Tuis consiliis et monitis in subsequenti proficere possem.

Libellus, de quo scripseram Eminentiae Tuae, qui tam impie S. Augustini de Gratia doctrinam lacescit, non remanebit impunitus. Eius censura brevi, ut spero, ad manus vestras perveniet. Melius est, ait Bernardus<sup>5)</sup> noster, ut scandalum oriatur, quam veritas deseratur. Ceterum quod <sup>6)</sup> mihi, Eminentissime Domine, favorem et patrocinium Tuum in tuenda epistola Eusebii Romani benigne polliceris, gratias ago quam maximas. Si scirem quaeenam in ea reprehensione digna istic <sup>7)</sup> videantur, ea perlibenter vel purgarem vel emendarem: sed cum id ignorem, quid reponam mihi non succurrit. Unum aut alterum carpendum notaverat vir apud nos <sup>8)</sup> illustrissimus, cuius examini haec epistola commissa

<sup>1)</sup> Ruinart, beati Urbani Papae II. vita, herausgegeben von D. Thuillier, Oeuvres posthumes III, 1—410.

<sup>2)</sup> Ruinart, Apologie de la mission de S. Maur. Par. 1702.

<sup>3)</sup> Dieses Schreiben überreichte Dom Guillaume La Parre, der Nachfolger Montfaucon's, dem Adressaten; vgl. La Parre an Mabillon bei Valery 3, 159. — Colloredo's Antwort vom 20. Nov. 1703 bei Thuillier I, 346.

<sup>4)</sup> 1. October.

<sup>5)</sup> S. Bernardi epist. 78: Melius est, ut scandalum oriatur quam veritas relinquatur.

<sup>6)</sup> Von hier an gedruckt bei Dom Thuillier l. c. p. 345. Das Vorausgehende fehlt.

<sup>7)</sup> *Istic* fehlt bei Th.

<sup>8)</sup> Bei Thuillier: *vos*, doch muss es unzweifelhaft *nos* heißen, da Mabillon sein Manuscript in Paris dem jansenistischen Theologen Du Guet zur Prüfung übergeben hatte; vgl. Broglie II. 220. Das Gutachten des letzteren dürfte in der Bibl. nat. fonds français 19652 noch vorhanden sein.

fuerat: at cum ei de utraque fecissem satis, ipse mihi significavit, se ab iniuncta sibi censura destitisse. Animus erat novam huius epistolae editionem adornare et approbare iudicium sanctitatis eiusmodi sanctorum adeoque martyrii ex vasculis sanguine tinctis ad eorum oculos appositis et suum quoque dare pondus et momentum palmis eiusmodi oculis impressis: quae si sacra Indicis<sup>1)</sup> Congregationis arbitris posse sufficere Tibi videantur aut si qua alia citra veri et sinceri praeiudicium addenda viri doctissimi censeant: ego eorum consiliis facile parebo, ubi ab Eminentia Tua id resciero, si mihi id renuntiare non graveris. Parcat quaeso inurbanae facilitati, ne dicam audaciae meae, nec vereatur ne quod suo nomini offendiculum in nova hac editione, si quidem eam fieri debere censueris, imprudenter ac temere afferam. Humillima<sup>2)</sup> sua obsequia Eminentiae Tuae mecum offert noster Th. Ruinartus gratiasque agit de submisso diplomate Urbani II. Deus optimus maximus Eminentiam Tuam incolumen servet. Remis.<sup>3)</sup>

32.

Paris. 1703. 2. XII.

Jamdudum respondisse debueram ad ultimas litteras, quibus me dignata est Eminentia Tua; sed quo minus id citius exsequeretur, varia subinde impedimenta et incommoda intercesserunt. His tandem ex parte excussis magno honori duco, quod eum me esse putas, qui vestro Laderchio<sup>4)</sup> suppetias conferre possim ad continuandam ecclesiasticam historiam, quae tam felicibus auspiciis ab illustrissimo Cardinale Baronio vestro inchoata et ad saeculum XIII. producta, ab Odorico Raynaldo ad nostra fere tempora deducta est. Etsi vero pauca restare videantur, si annorum numerum comparemus, immensae tamen molis opus esse video et maxime lubricum, quod prudentem et diligentem virum postulet. Non dubito quin his aliisque dotibus

1) *Judicis* Thuillier.

2) *Humillima* — *Urbani II.* fehlt bei Thuillier.

3) *Remis* fehlt bei Thuillier.

4) Der Oratorianer Jacob Laderchi sollte schon einige Jahre vorher die Annalen des Baronius unter der Aufsicht Colloredo's fortführen; vgl. das Schreiben Estiennot's an Mabillon (ohne Dat. aber vor 1699) bei Broglie I, 159: „On veut que le R. P. Laderchi continue les Annales du cardinal Baronius et que Mgr. le cardinal Colloredo dit l'inspection sur cet ouvrage, mais rien n'a encore paru.“ Später wandte sich Laderchi an Mabillon und Montfaucon, um ihren Rath zu der ihm anvertrauten Arbeit einzuholen. Die noch unedierten Antwortschreiben derselben gedenken wir bei einer anderen Gelegenheit zu veröffentlichen. Seine Annales ecclesiastici ab anno 1566 ubi Odericus Raynaldus desinit Tom. XXII—XXIV. sind zu Rom 1728—1737 in 3 Bänden erschienen.

ad tantum opus necessariis praeditus sit Laderchius, quem, Te haud dubie suggerente, Sanctissimus Dominus noster ad hanc provinciam aptiorem iudicavit. Vellem equidem aliquid adiumenti ad illud egregium opus conferre, si possem; sed in tanta rerum dicendarum varietate magis delectu opus est, quam novis copiis, quae magis animam scriptoris obruant, quam iuvent. At vereor ne ad mensuram meum hac de re iudicium; longe validiores humeros habet eximius iste vir quam ut amplissimam licet materiam reformidare possit. Si qua itaque in collectaneis meis, quae ipsi usui esse possint, ea subinde suggerere paratus sum, tum ut mandatis tuis morem geram, tum ut religiosi et eruditi auctoris gratiam demereri possim. Interim me movet sacrorum dierum imminens solemnitas, ut meo nostrique Th. Ruinarti nomine fausta Christi natalia felicemque novi anni decursum Eminentiae Tuae exoptem. De studiis nostris vix habeo quod dicam in tanta animorum his in partibus agitatione, cui nullum nisi a Deo remedium exspectare licet. Nihilominus tamen typis iam committimus tomum secundum nostrorum annalium, quorum primus tomus nescio quando ad vos pervenire poterit per has bellorum tempestates. Faxit Deus, ut brevi conquiescant. Vale.

## 33.

Paris. 1704. 26. VII.

Binos eodem fere tempore epistolas Eminentiae Tuae accepi, quarum altera primum Annalium nostrorum tomum se accepisse significat, altera eorundem lectione se delectari testatur.<sup>1)</sup> Sane magnopere laetor quod haec lectio non omnino Tibi displiceat, nec exiguum laboris mei fructum me percipere fateor, quod eius generis scriptiones meae viris probis non displiceant, futurum sperans quod transeant in mores, quod quidem mens mea est, saltem sodalium meorum. Haec spes animum accendit ad continuandum laborem, certe non mediocrem, tametsi subinde interruptum variis distractionibus, quae me a proposito saepe avocant. Ex his una est, quam prae omnibus habeo, supplementum scilicet librorum meorum de re diplomatica;<sup>2)</sup> quod tamen non impedit, quominus persequar editionem secundi tomi nostrorum annalium, adiuvante in primis nostro Th. Ruinarto, ut intra Septembrem mensem proximum una cum ipso supplemento, Deo dante, absolvetur. Interim bona satis valetudine fruor, quae per totam quadragesimam valde afflicta fuit, ut et nostri Ruinarti. Neque vero calores, qui ab aliquot septimanis his in partibus immodici sunt, solitum laborum nostrorum cursum retardant.

<sup>1)</sup> Dieser zweite Brief Colloredo's an Mabillon ist gedruckt bei Thuillier I, 355—356.

<sup>2)</sup> Supplementum librorum de re diplomatica. Paris 1704 Fol.

Utinam id cedat ad Dei optimi maximi gloriam, et ad Sanctae Ecclesiae utilitatem, quam unicam in studiis meis opto. Cum utrumque hoc opus absolvero, mox novam editionem epistolae de cultu SS. ignotorum fieri curabo, in qua moderari et emendare connitar ea loca, quae Sanctissimo Domino nostro et Eminentissimis Dominis meis Cardinalibus displicuerint. Utinam ea facilitate liceret componere illas rixas, quae Gallicam Ecclesiam perturbant occasione famosi et funesti illius casus, qui nuper a quibusdam doctoribus Parisiensibus vulgatus est.<sup>1)</sup> Hinc fit, ut non amplius quaestio sit de formula a Summis Pontificibus perscripta circa Jansenii librum sed de infallibilitate factorum dogmaticorum, in quibus definiendis doctissimi quique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Baronius, Bellarminus, Bona, Lauria, D'Aguirre aliique Ecclesiam non omnino infallibilem esse confitentur. Saltem ob hanc quaestionem, quae nondum ab Apostolica sede definita est, non deberent, ut quidem salva pace mihi videtur, proscribi viri pii et docti, qui non per contentionem nec ex opinione obstinata sed recta intentione ex veritatis sincero amore in alia sunt sententia. Verum longius progredior quam me deceret hominem tantillum, ad quem de his scribere non pertinet. Sed scio cui loquor fasque mihi esse puto animi mei sensum in sinu amantissimi patroni mei deponere, quem aliis amore pacis assertum esse nolim. Precor Deum optimum maximum, ut pacem Ecclesiae et Europae tandem concedat Teque diu incolumem servet. Salutem plurimam Eminentiae Tuae optat noster Ruinartus. Vale.

34.<sup>2)</sup>

Paris. 1705. 10. II.

Quoties<sup>3)</sup> litteras Tuas accipio, toties in me sentio recalescere pietatem et novos addi stimulos ad prosequendos qualescumque labores meos. Id cum alias saepissime tum maxime ex postremis Tuis litteris expertus sum, quibus inter alia Te lectione nostrorum Annalium, quae Tua humanitas est, recreari significas, iamque ad finem primi tomi pervenisse. Existimo secundum volumen<sup>4)</sup> modo in Urbem advectum esse eiusque exemplar cum supplemento diplomatico Eminentiae Tuae oblatum aut certe brevi offerendum. Interim mitto Eminentiae Tuae novum Eusebium<sup>5)</sup> a me recognitum, auctum et emendatum, utinam eo successu, quem

<sup>1)</sup> Casus conscientiae; vgl. Reusch II, 692 ff.

<sup>2)</sup> Unvollständig gedruckt bei Thuillier I, 359.

<sup>3)</sup> Der Eingang dieses Schreibens von *Quoties* — *Interim* fehlt bei Thuillier.

<sup>4)</sup> Annales ord. S. B. vol. II. (a. 701—749) Par. 1704.

<sup>5)</sup> Eusebii Romani ad Theophilum Gallum epistola de cultu sanctorum ignotorum Par. 1705. (Abdruck dieser 2. Ausgabe bei D. Thuillier I.)

expectas omnesque Romani patres, quibus eum placere et approbari permaxime<sup>1)</sup> cupio. In novo hoc Eusebio supersunt nonnulla, quae quibusdam fortasse duriuscula videbuntur. Verum id tantum cadit in secundarios ministros extrahendis corporibus praepositos, quos non satis religiose hac in re aliquando se gessisse constat non uno exemplo. Unicum hic affero a multis testibus in hac Parisiaca urbe observatum. Allatum erat quoddam caput, quod S. martyris esse dicebatur. Adhibitis ad illud probandum chirurgis factitium<sup>2)</sup> ex densiori charta caput esse deprehensum est, quod a viro fide dignissimo, qui testis adfuit, accepi. Haec aliaque non pauca me moverunt, ne omnia quae forte duriuscula nonnullis videbuntur, in novo Eusebio resecalem, ut maiorem in posterum diligentiam adhibeant secundarii isti ministri. Plura hac de re scribo illustr. Blanchino,<sup>3)</sup> cui mentem meam, utpote veteri amico, sicut et Eminentiae Tuae sincere aperire non dubitavi, ut intelligatis, me multa reticuisse ob reverentiam Sanctae Romanae Ecclesiae, cuius honorem quovis pretio inviolatum esse velim.<sup>4)</sup> Haec satis in praesens. Paucis scripsi Suae Sanctitati, ut ei novum Eusebium cum tomo secundo Annalium et Supplemento offerrem.<sup>5)</sup> Scripsi etiam Eminentissimo Cardinali Ottobono. Haec Te scire volebam. Humillima sua obsequia Eminentiae Tuae mecum offert noster Ruinartus, qui Urbanum suum modo rescribit. Ambo Deum ex animo precamur, ut Te incolumen servet.

35.

Paris. 1705. 7. XII.

Jam instant sacrosancta Christi Domini Natalia, instat et novi anni initium, quorum alterum me admonet, ut prospera Eminentiae Tuae sacra festa ex animo augurer, alterum ut etiam faustum proxime venturi anni multorumque aliorum decursum apprecer: quod utrumque utinam votis, quae in dies pro Te fundo, a Deo impetrare possim. Hac occasione scire

<sup>1)</sup> *per* fehlt Thuillier.

<sup>2)</sup> *Factitium* — *deprehensum est* fehlt Thuillier.

<sup>3)</sup> *Bianchino* Thuill. — Wegen der Neubearbeitung des Eusebius wandte sich Mabillon an Francesco Bianchini, da auch dieser Gelehrte verschiedene Einwände erhöben hatte (vgl. das Schreiben des D. Guillaume La Parre an Mab. bei Valery 3, 159). Nach Vollendung der neuen Auflage schrieb ihm Mabillon: Romam adit novus Eusebius novo habitu novoque forma indutus, utinam dignus, qui a Romanis patribus approbetur. Si quid habet minus quam ante, incultum, id tuis curis debet, illustrissime Domine, quippe qui naevos primi Eusebii mihi pro tua humanitate detexisti et modum eos emendandi docuisti. Brief vom 10. Februar 1705 bei Thuillier I, 360. Ueber Bianchini s. Fabronius, Vita Italor. (Rom. 1770) III, 5—69.

<sup>4)</sup> Das Folgende fehlt bei Thuillier.

<sup>5)</sup> Mabillon's Schreiben an Papst Clemens XI. vom 8. Febr. 1705 bei Thuillier I. Der Generalprocurator La Parre war der Ueberbringer; vgl. dessen Schreiben an Mabillon bei Thuillier I, 366.

pervelim, fortasse temere sed veniabili ut puto errore, quorum aetatis annum agat Eminentia Tua, cuius annos diu pertrahendos opto.<sup>1)</sup> Ad me quod attinet, pro aetate satis integra valetudine, Deo gratias, fruor et laboris necdum impatiens, quem continuandis Annalibus nostris insumo. Jam a duobus fere mensibus absoluta est editio tomi tertii,<sup>2)</sup> cuius exemplar quantocius fieri poterit, a nostro in Urbe procuratore generali accipies in perenne observantiae in Te meae argumentum. Eadem occasione Eminentiae Tuae offeretur novus tomus miscellaneorum nostri D. Edmundi Martene.<sup>3)</sup> Forte iam in Urbem pervenit nova editio Gregorii Magni operum Sanctissimo Domino nostro dedicata. Noster Ruinartus disponit ultimum tomum Actorum nostrorum<sup>4)</sup> exspectans tempora meliora ad imprimenda Acta Urbani II., quae typis parata habet.<sup>5)</sup> Haud scio an brevi editurus sim tomum quartum nostrorum Annalium, quem itidem typis paratum habeo. Interim tomum quintum prosequor; an perfecturus sim, Deus scit, in cuius manu sunt sortes meae et laborum qualiumcumque meorum, qui utinam in bonum ab eo accepta sint. Eadem pro Eminentia Tua vota quae ego facit noster Ruinartus. Vale.

36.

Paris. 1706. 11. XII.

Et si ita impeditae sint funesto hoc tempore viae ad Urbem, ut vix sperem fore, ut haec epistola ad manus tuas perveniat, eam tamen malim quam observantiam in Te meam in animo tuo vel tantillum periclitari. Ea sane est, ut nec interstitia locorum temporumve nec intermissio litterarum ei quidquam detrimenti afferre possint. Ego vero de tua in me benignitate, Eminentissime Domine, ita securus sum, ut eam hisce fomentis non indigere facile credam. Verumtamen ne secordiae tribui possit, quod tamdiu a renovandis meis erga Te obsequiis absteineam, nefas esse duxerim, Te insalutato praeterire sacros dies imminentes, quos Eminentiae Tuae faustos, prosperos, et amplissimo gratiarum foenore plenos ex animo apprecor una cum nostro Th. Ruinarto, coniunctisque studiis

1) Colloredo war damals 66 Jahre alt.

2) Der dritte Annalenband ist im J. 1706 erschienen.

3) Ein Werk unter dem Titel Miscellanea hat D. Martène niemals veröffentlicht; vielleicht meint Mabillon den Thesaurus novus anecdotorum, doch sind die fünf Bände desselben erst im Jahre 1717 erschienen.

4) Dieser letzte (zehnte) Band der Acta SS. O. S. B. ist nicht mehr erschienen. Der handschriftliche Apparat gieng nach Mabillon's und Ruinarts Tode in die Hände der Mauriner D. Massuet und D. Le Texier über; vgl. Pez, Bibl. Maur. pag. 399 und Millin, Mag. encycl. V (1765) p. 366.

novi anni fortunatum initium ac decursum ambo Tibi vovemus, ut valeas salvus et incolumis ad reipublicae Christianae nostrumque commodum et utilitatem. Si modo vales, faxit Deus, ut ita valere pergas. Ego certe pro aetate bene valeo et studiis nostris operam navo de more Annalium nostrorum opus persequens. Tomus quartus circa Pascha, Deo dante, prodibit in lucem.<sup>1)</sup> Quintus iam fere totus typis paratus est. De reliquis statuet Deus pro bona sua voluntate. Noster Th. Ruinartus Acta Sanctorum nostrorum prosequitur, quatenus Annalium nostrorum editio et indicum dispositio, cui se totum impendit, eum respirare sinunt. Recens libellum edidit, me nesciente, contra P. Germonium<sup>2)</sup> ad vindicandum quoddam diploma ex eis, quod in opere de re diplomatica tamquam indubitatum, ut re vera est authenticum, proposui, quod Germonius arbitrio suo suspectum habet. Alter e nostris<sup>3)</sup> contra eundem scribit ad vindicandum mss. codices et editiones Augustini et Hilarii. Utramque lucubrationem brevi, si tempora ferant, recipies. Initio proximi anni noster Ruinartus acta piae memoriae Urbani II. imprimere incipiet. D. Bernardus de Montfaucon veterum scripturarum Graecarum specimina typis parata habet.<sup>4)</sup> Denique unus e nostris Hildeberti opera omnia in folio edit.<sup>5)</sup> Haec sunt studia nostrorum, quae utinam ad Dei honorem<sup>6)</sup> et Ecclesiae utilitatem cedant. Aegre avulsi sumus ab Eminentissimo Cardinali Galterio, qui omnium amores in se trahit. Excellentissimum Dominum Nuntium modernum necdum salutavi. Id fiet propediem. Vale.

<sup>1)</sup> Der vierte Annalenband, der letzte, den Mabillon selbst besorgt hat, ist im Jahre 1707 erschienen; den fünften veröffentlichte Dom Massuet (1713).

<sup>2)</sup> Th. Ruinart, *Ecclesia Parisiensis vindicata adversus R. P. Bartholomaei Germon duas disceptationes de antiquis regum Francorum diplomatibus* Par. 1706 12°. Darauf erwiderte Germon in seiner Schrift: *De veteribus regum Francorum diplomatibus etc.* Par. 1707, 12°.

<sup>3)</sup> D. Pierre Coustant, *Vindiciae mss. codicum a R. P. Barthol. Germon impugnatorum cum appendice, in quo S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obscurati et depravati illustrantur et explicantur* Par. 1706. Die Entgegnung Germon's ist betitelt: *De veteribus haereticis, ecclesiasticorum codicum corruptoribus* Par. 1713, worauf Constant in der Schrift: *Vindiciae veterum codicum confirmatae etc.* Par. 1715 seine Behauptungen rechtfertigte.

<sup>4)</sup> Montfaucon's *Palaeographia Graeca* ist erst im Jahre 1708 erschienen.

<sup>5)</sup> *Hildeberti Turonensis archiep. opera etc.* ed. D. Ant. Beaugendre, Par. 1708.

<sup>6)</sup> Statt honorem stand zuerst gloriam.